



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **ANGELOS ET ARCHANGELOS** TEMPLUM S. MICHAËLIS  
ARCHANGELI IN URBE TAYABAS  
LOCATUM IN DIOCESIS LUCENENSIS FINIBUS  
AD GRADUM EVEHITUR BASILICARUM MINORUM Ad perpetuam rei memoriam. – Angelos et Archangelos, Dei  
ministros eosdemque caelorum incolas, recte coli et a populo fideli invocari, non modo Ecclesia non reprobat vel respuit,  
verum adprobat vehementer. Nam ipsi tutissima solent afferre praesidia auxiliumque validissimum. Quam propter  
causam, cum Venerabilis Frater Ruben T. Profugo, Episcopus Lucenensis, id ab hac Apostolica Sede petierit, suo  
quidem nomine aequa ac suorum cleri fideliumque, ut sacra scilicet aedes S. Michaëlis Archangeli, quae in urbe Tayabas  
exstat quaeque in ipsius dioecesi site est, titulo ac dignitate Basilicae Minoris ornaretur, Nos profecto huius templi  
antiquitatis ratione habita, et artis qua nitet (pulcherrimum enim habetur inter Philippina templa), tum etiam pietatis  
religionisque quae ibi firmantur – quandoquidem ipsum exstat etiam veluti pharus christianarum virtutum et hic  
persequentes solidam eandemque translaticiam consuetudinem venerantur Dei Matrem mariano rosario fideles –,  
prompta sane voluntate Venerabilis Fratris expostulationibus concedere cupimus. Itaque ea probantes quae Congregatio  
pro Cultu Divino, factis a Nobis olim potestatibus, hac de re decrevit, Apostolicae Nostrae potestatis usi plenitudine,  
paroeciale aedem quam supra memoravimus S. Michaëlis Archangeli in numerum adscribimus Basilicarum Minorum,  
factis pariter iuribus ac privilegiis convenientibus, dummodo ea serventur quae praescribit Decretum «De titulo Basilicae  
Minoris», die VI mensis Iunii editum, anno MCMLXVIII. Contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus. *Datum*  
*Romae, apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Octobris, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri*  
*undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana

---